

nobilitate, hæc enim maximè reprimunt viros ingenuos, ne ab eis degenerare videantur.

13. Torcular.

Abulen.

Origen. Hieron. Beda. Theophyl. Euthym. Antioch.

Hieron. Psal. 8.

Hilarius. Chryost.

14. Turris.

Origen. Cyrillus. Hieron. Beda. Theophyl. Euthym.

Hilar. Imperfect.

Origen.

15.

Sant. 5.

Qui habet curam altorum sit vigilans in somnis. Theodor.

16.

Eldr. 1.

Beda.

Secundò. Fodit in ea torcular, seu vt haec D. Marcus Fodit in ea lacum: illum scilicet, in quem vinum fluit expressis vuis. Vineam enim, cum magna esset, vt ait Abulensis, constructum est in ea torcular, in quo vna torqueretur, & exprimeretur vinum. Moraliter Origenes, S. Hieronym. Beda, Theophyl. Euthymius in Matth. & Victor Antioch. in Marc. dicunt torcular indicare altare holocaustorum, quia in illo altari, sanguis, qui similis est vino fundebatur. Vult Deus sibi offerri sacrificia, eisque maximè delectatur. Secundò D. Hieronym. per torcular intelligit Martyres, vnde Psal. 8. & 80. & 83. inscribuntur in titulo. Pro torcularibus, idest pro Martyribus. Illis enim maximè decoratur, crescit, ac munitur vinea Ecclesie. Tertiò D. Hilar. Chryostomus in Imperfecto. 40. per torcular prophetas intelligunt, ex quibus quasi ex torcularibus gratia spiritus sancti decurabat vt mustum.

Tertiò. Adificauit turrin, Tam ad habitaculum agricolarum, quam ad defensionem vineæ, ac ad speculandum aduersariorum aduentum. Moraliter Origenes homil. 19. in Matth. N. D. Cyrillus lib. 2. de recta fide ad Reg. & in præfenti D. Hieronymus Beda, Theophylactus, Euthym. Rupertus, & Victor Antioch. in Marc. Turrin, templum significari existimant; vt enim vinea esset fortissima ac fructifera, magnæque prouentus in ea fierent, in ea adificauit templum, ex cuius religione omnium bonorum fontes redundant. Secundò, D. Hilarius, Auctor Imperfectus citatus; per turrin denotat Legis fiduciam, & altitudinem, ex qua Sacerdotes Christum venturum specularentur. Tertiò, Origenes etiam citatus, ait. Turrin autem adificatam in ea existimo verbum esse de ipso Deo. Verbum enim Dei habetur pro turri, quæ protegit, ac conseruat vineam, de solo enim Dei verbo potest venire, quod res aliqua subsistat à perditione immunis.

Adificauit turrin. Cum vinea haberet multos aduersarios prouidus Paterfamilias constituit in ea turrin ad speculandum aduersariorum aduentum, ne venenosus serpens irreperisset, ne crudelis leo, qui vigilans circuit, quærens quem deuoret, haberet ingressum. Dicebat sponsa. Ego dormio, & cor meum vigilat. Cantic. 5. num. 2. Cur illi tam crebra vigilia, vt etiam in noctibus, quando omnes mortales requiescunt, non vult dilecta claudere lumina in soporem, sed per sollicitudinem excubuit? Constituta erat ipsa custos in vineis, quas innumeri hostes ambiebant, ne ergo ex inimicorum insidiis aliquod nocumentum vineæ pateretur, ideo præ sollicitudine sic dormit, vt simul vigilet Theodor. Ego dormio, & cor meum vigilat, quamuis enim, ait, à natura cogar oculos claudere, & somnum capere, mente tamen vigilo, & ignauia somnum minus suscipio.

Cum sub Nehemia Israëlitarum Ierosolymorum urbem restaurarent, qui operabatur. Vna manu faciebat opus, & altera tenebat gladium, adificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes. Eldræ 2. cap. 4. num. 18. Cum eadem ciuitas sub Dauid, vel Salomone extrueretur, non erat talis operatus armorum in operatiis, vt notat Beda. Non prætereundum, ait, quia cum Dauid, vel Salomon eandem ciuitatem adificarent,

nil de armatis structoribus, vel aduersariis impugnantibus refertur. Vnde tanta differentia, quod sub Nehemia operatijs erant simul gladio instructi ad bellum, non vero sub illis regibus? Temporibus Dauidis, ac Salomonis nullus hostilis imminere incursus; sed omnia sub pace secura erant. At verò sub Nehemia multum erat periculum, vt inimici de improviso structores murorum aggredirentur, inde expediebat, vt vna manu opus facerent, & altera gladios tenerent. Cum enim hostilis aduentus timeretur, nulla securitas, nulla requies danda est, sed omnia vt insidijs referta timeantur, & ideo omni sollicitudine debemus esse prompti, & expediti ad bellum. Beda citato loco. Notandum enim, ait, quia non solum pars inueniunt media faciebat opus, & pars media parata erat ad bellum, sed idem ipse, qui faciebat opus inuenies, gladio erant accincti, tanta namque versutia hostis antiqui, tantus furor malicia eius contra Ecclesiam dimicantis, vt & ipse Dei populus semper aduersus machinas illius vigilare, & velut in acie debeat stare.

Postquam Christus Dominus in horro orauit ad Patrem, reuersus ad Discipulos suos inuenit eos dormientes. Tunc dixit Petro. Sic non potuisti vna hora vigilare mecum? Matth. 26. num. 40. Cum ait, vigilare mecum, vox plena reprehensionis est, D. Chryostomus. Omnium, ait, infirmitatem arguit, quod neque simul cum eo potuerunt vigilare. In quo subtiliter inest grauis reprehensio. Cum ait vigilare mecum? Inter Christum, & Discipulos magnum erat discrimen. Christus Dominus superior omni dæmonis tentatione de se locutus ait. Venit princeps huius mundi, & in me non habet quidquam. Ioan. 14. num. 30. Quid enim in eo potuit reperire, quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, in cuius ore non est inuentus dolus? At Discipuli modo subiecti Satanæ tentationibus, & labi poterant, vnde de illius insidijs monens Dominus Petrum ait. Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Luca 22. num. 31. cribraret, hoc est, vt explicant Euthymius, ac alij, postulauit vos, vt tentationibus concuteret, ac perturbaret, & à fide amoueret: Ecce grandis reprehensio. Non potuisti vna hora vigilare mecum. Ac si dicat Dominus, cum mihi nullum imminere discrimen à Satana (nam vitam corporis dare, hoc libenter accipio, cum sit mei Patris præceptum) nullus enim Dæmonum terror me occupat, & tamen solertè depulso somno vigilo, & Patrem oro. Quanto magis vos, quos Satanas valet superare, & summopere nititur à sanctitate, ac iustitia spoliare, subiugoque suo premere debetis vigilare? Nam & si mille noctibus vigilandum esset, oportebat naturam vincere, & oculos non claudere, quanto magis breuissimo vnus horæ intervallo: Non potuisti mecum vigilare: sed me vigilante. In vtramque autem requisicistis tantam de hostibus nullus sit timor.

O indebita securitas, o inanis fiducia, & futurorum misera ignorantia!

Cum aduersarius simur, maximè est vigilandum.

Beda.

17.

Matth. 26.

Chryost.

Ioan. 14.

Luc. 22. Euthym.

Quibus perticulum imminet, vigilandum.

QUESTIO III.

Quare Paterfamilias vineam suam locauit agricolis?

18. Plantauit vineam non sibi, sed nobis.

Gen. 1.

Basil.

Eustach.

19.

Gen. 2.

Anton. Vlyff. Bona concessa si non excolantur, syluescunt. Prou. 23.

Chryost. Dei gratia cooperandū.

20. Prelati Ecclesiarum, sciunt bona non esse eis data, sed locata.

21. Princeps dec alimentis ministris, ne ipsi rapiant.

Theodoric.

22.

18. PATERFAMILIAS vineam agricolis, non dedit, nec gratis concessit, nec à se alienauit, sed locauit, pacto inito, vt certam fructuum portionem ei tempore suo darent, & nota magnam Domini clementiam. Ipse solus vineam plantauit, & tamen fruendam alijs tradidit. Ipse vineam plantauit non sibi, sed nobis. Creauit Deus terram, & mare: Vocauit Deus aridam terram, congregationesq. aquarum appellauit maria, & vidit Deus quod bonum esset, Genes. 1. num. 10. Bonum, ait D. Basilus homil. 4. in Hexam. Non sibi, sed nobis. Quorum vtilitatem, ac commoditatem, latè describit D. Eustach. in Comment. Ex fructibus, & alijs prouentibus. Ad quæstionem

19. Primò respondeo. Vineam locauit agricolis, non vt otio indulgerent, nec vt de fructibus vineæ comederent, nec vt de dulcedine vineæ gustarent, & biberent, sed vt in ea laborarent, ac operarentur, ideo eis imposuit vt fructuum tempore certam eorum portionem redderent: Plantauerat autem Deus paradysum voluptatis, in quo posuit hominem, vt operaretur, & custodiret illud, Gen. 2. n. 16. Si enim dona nobis concessa non excolantur, syluescunt. Ideo anima rectè comparatur vineæ, nam vt ait D. Anton. Vlyff. Feria 6. post Domin. 2. Quadrag. Inter omnia ligna, vinea statim efficitur syluestris, si non colitur. Vnde ait Sapientis: Per agrum hominis pigri transiit, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vertice, & operuerunt superficiem eius spina, Prouerb. 23. num. 30. Vnde tot inutiles herbæ in agro? Erat hominis pigri, qui non labori, sed otio se dabat, nisi enim homo cooperetur Dei gratiæ gratiam vacuum efficit. Vnde hos colonos vineæ arguit, D. Chryostom. homil. 68. Expende autem, ait, & prouidentiam eius ineffabilem, & otiositatem inuidiarum istorum; plura enim ipse agricolarum opera fecit, maceriem circumposuit, vineam plantauit, & reliqua omnia præstitit, & paruum quid ipsis reliquit, vt scilicet plantata iam vinea curam habentes, que data fuerant, conseruarent. Nihil tamen isti ex prouidentia Dei tot, tantaq. bona, lucrati sunt. Ideo ex otio, ac desidia, in tot mala sunt prolapsi.

20. Secundò. Per hos colonos vineæ multi interpretes intelligunt Sacerdotes, ac Pastores Ecclesiarum, vt fiat documentum, quod bona Ecclesiarum eis non dantur, sed locantur, & quod census debeant pendere, non propriæ cognitioni, aut negotiosæ ambitioni, sed Deo, siue eius templo, seu Dei pauperibus. Vide suprâ cap. 5. n. 16. 17. & 18. & eodem cap. 5. n. 140. 141. & 142. Vide tom. 1. 2. ac 3. Verbo Ecclesiasticus.

21. Tertiò. Bonus Princeps, ac Paterfamilias suis consulit, datque eis vineas, & agros excolendos, vt habeant, vnde comedant, ac alimententur, ne rapto cogantur viuere, qui suis ministris, ac famulis non dat, vnde alimenta capiant, eos furto, ac rapinis exponit. Vnde dicebat Theodoricus lib. 1. Epistol. 19. Indigentia seruorum Domini depopulatio.

22. Inter omnes Reges, ac Principes, qui in facto textu scribuntur, valde eminet Rex Salomon Sylueira in Euang. Tom. IV.

in suis famulis, ministris, ac operarijs prouidentis. 3. Reg. 4. n. 22. & cap. 5. n. 11. & 12. & 2. Paralip. 9. n. 25. Vnde de Regina Saba refertur: Videns autem Regina Saba sapientiam Salomonis, & domum, quam adificauerat, & cibos in se eius, & habitacula seruorum, vestesq. eorum, & pincernas, &c. Non habebat ultra spiritum, 3. Reg. 10. n. 4. Cur inter omnes reges Salomon tanta cura, ac sollicitudine se habet in prouidentis suis ministris, ac famulis de cibo, vestitu, ac domo? Salomon inter cæteros Principes extitit sapientissimus, inde tam prouidus, ac sollicitus vt suis, quæ ad cibum, & potum spectabant, suppeditaret? Nouerat sapiens Rex, quod si Regalibus ministris congrua, ac necessaria stipenda non præbentur, ab ipsis subripienda esse non solum necessaria, sed etiam superflua pro luxu, ac delicijs, ne ergo ministri fures fierent, ille eis prouidit sufficienter pro alimentis.

23. Exhortatur Paulus Rom. 13. n. 5. Ideo enim tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, cuius cum mandat Regibus, ac superioribus tributa dare, ait Dei esse ministros? D. Hieron. Ministros autem Dei illos appellat: vt sic eis reddant, quod eis debent. Ideo inducit vt vestigalia illis soluant, quia sunt Dei ministri, nam hi patienter sustinent, & expectant, vt alimenta accipiant, vt viuant, & comedant, Diaboli autem ministri longè sunt ab hac patientia, non quiescunt, vt accipiant, sed ipsi toti intenti sunt, vt furentur, & subripiant, vnde abundanter, ac deliriosè viuunt, & epulentur.

QUESTIO IV.

Quare Paterfamilias plantatam vineam locauit agricolis multis nempe, & non vni, vt de vinea apud Isaiam legitur?

24. PATERFAMILIAS non vineas, sed vineam plantauit, Vineam enim hæc Ecclesiam significat, quæ vna est, ob vnum caput Iesum Christum, ob vnâ fidem, ac doctrinam, obque etiam ipsam vnitatem, ac concordiam iustorum inter se. Quæstio præsens est in nostro Euangelio. Vineam dicitur locata agricolis in plurali, at vinea à Deo plantata, de qua facit mentionem Isai. 5. num. 1. dicitur vni tantum data: Vineam, ait, facta est dilecto meo in cornu silio olei. Et sepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, & adificauit turrin in medio eius, & torcular extruxit in ea. Ecce in Euangelio vinea dicitur multis data, in Propheta verò vni tradita: Dilecto meo.

25. Pro solutione huius quæstionis nota ex Origene homil. 19. differentiam, quæ militat; Inter vineam Isaiæ ac Matthæi. Nam vinea Isaiæ significat regnum temporale, vinea verò Matthæi regnum Dei, seu mysteria regni Dei, sic ait Origen. De vinea Synagoga, ait Ieremias: Ego plantauis vineam fructiferam, quomodo conuersa es in amaritudinem vinea aliene? Vides quoniam in Prophetis, populus Iudaicus vinea appellatur, & cõminatio Patrifamilias contra vineam fit: In Euangelio autem omnino vinea non culpatur, sed eius coloni. Dicitur enim, Malos male perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis. Et subdit ipse Origenes, quod enim dicit, Tolletr à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius, manifestè, sicut arbitror, VVU 3. demonstrat.

2. Paral. 9. 3. Reg. 7.

Rex det ministris, ne ipsi fiant respública latrones.

23. Rom. 13.

Hieron.

24. Difficultas quæstionis.

Isai. 5.

25.

Origenes. Differentia inter vtramque vineam.

demonstrat mysteria regni Dei vineam esse, scilicet Logem, Prophetas, & omnes diuinas Scripturas.

26. Bona temporalia exigua, celestia ampliora.

Ex quo iam patet solutio ad quaestionem. Vineam Prophetarum regnum temporale, vinea Euangelij regnum Dei, ideo illa vni tantum est data; haec vero multis. Temporalia enim bona valde parua, ac angusta sunt, & si ab vno tenentur, non possunt ad alios se extendere, ac deriuare, sine damno, ac diminutione primi possessoris: at vero bona spiritualia regni Dei, valde ampla sunt, & si a multis obtineantur, omnes adimplent, ita vt a singulis tota absque alicuius prauidicio, ac offensione habeantur. Vide Temporalia bona, in Indice.

27. Cantic. 1.

Secundò. Paterfamilias plantauit vineam, & multis agricolis locauit; In Canticis vero 1. n. 6. multae vineae vni spondae committuntur, Posuerunt me custodem in vineis. In Euangelio vinea est regnum Dei, quod etiam denotatur in Cant. vt dicunt Origenes homil. 2. ex duabus, D. Ambros. ferm. 2. in Psal. 118. D. Gregor. homil. 17. in Euang. Theodoret. Beda, & D. Bernard. ferm. 30. in Cantica de eo Praefule interpretatur, ait: Qui coactus a fratribus sit, vt curam susciperet animarum aliorum. Ecce in Euangelio vinea multis datur, in Canticis vero, vni tantum committitur; Coelestia enim dona regni Dei sic multis indefectibiliter communicantur, ac si omnia illa ad vnum solum pertinerent, & sic singuli vniuersa illa possident, ac habent, veluti si multi, & innumerales possiderent, ac haberent. Vnde cum datur multis, dicitur vinea, Plantauit vineam, & locauit agricolis, cum vero vni committitur, vinea appellatur, posuerunt me custodem in vineis, haec enim spiritualis vinea tam sufficiens, ac abundans est ad multos replendos, ac saturandos, veluti multae vineae vnum valent implere, ac satiare.

28. Exod. 3.

Ait Deus Moyse Exod. 3. n. 15. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, ac Deus Iacob. Maxime notandum est, quod non dicitur, Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob, sed pro vnoquoque repetitur particula Deus; vt patet ex textu: Ita enim Deus est omnium, ac si vniuersiusque esset Deus tantum; ideo repetitur nomen Deus: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, &c. Vt euidenter fiat, quod ita erat Deus illorum, vt ab vnoquoque singulari totus Deus haberetur. Origenes homil. 12. in Matth. Non dixit, ait, Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob, sed Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Abraham totum habebat Deum, Isaac totum habebat Deum, & Iacob totum habebat Deum; ideo non dicitur in commune Deus eorum, quasi singuli eorum totum habeant Deum. Vide supra cap. 17. n. 195.

Bona coelestia sic communicantur, vt tota vniuersique.

Origen.

Matth. 21. Et agricolae, apprehensis seruis eius alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidauerunt.

Num. 36. Iterum autem misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.

Num. 37. Nouissimè autem misit filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.

VERSIONES.

Syriacus n. 35. Et apprehenderunt agricolae seruos eius, & alium quidem percusserunt, alium lapidibus obruerunt, alium denique trucidauerunt.

Tertull. aduer. sus Iudaeos, cap. 13. At illi alios lapidauerunt, alios fugauerunt, plures vero ad mortis necem tradiderunt.

Arias n. 36. Legauit alios seruos. Iterum emisit alios seruos, & tractauerunt illos similiter.

Syriac. n. 37. Misit ad eos filium suum, quum diceret: Iam erubescet propter filium meum.

D. Chrysost. Forè reuerentur filium meum.

ALTER TEXTVS.

Marc. 12. n. 4. Et iterum misit ad illos alium seruum: & illum in capite vulnerauerunt, & contumeliis affecerunt.

Num. 5. Et rursus alium misit, & illum occiderunt, & plures alios: quosdam caedentes, alios vero occidentes.

Num. 6. Adhuc ergo vnum habens filium charissimum: & illum misit ad eos nouissimum, dicens: Quia reuerentur filium meum.

Luc. 20. n. 11. Et addidit alterum seruum mittere. Illi autem hunc quoque caedentes, & afficientes contumelia, dimiserunt inanem.

Num. 12. Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes eiecerunt.

Num. 13. Dixit autem Dominus vineae: Quid faciam? Mitram filium meum dilectum: forsitan cum hunc viderint, verebuntur.

EXPOSITIO II.



Agricola apprehensis seruis eius. Qui admonuerunt colonos de reddendis fructibus, quorum causa erant missi, non solum eos non audierunt, sed insuper contumeliis, vulneribus, ac morte affecerunt. Alium occiderunt,

29.

Jerem. 10. 3. Reg. 22. 2. Paral. 24. Abulenc.

eciderunt, seu percusserunt, verberibus, vt Ieremiam 10. num. 2. Sedecias, Micheam 3. Reg. 22. n. 24. alium occiderunt, vt Isaiam; alium lapidauerunt, vt Ioas Zachariam filium Ioiadae. 2. Paral. 24. n. 21. 22. Ac proinde ex his, qui fuerunt missi hac prima vice, vt probabilis videtur Abulenc. q. 182. quidam fuerunt percussi, quidam occisi, quidam lapidati. D. Marcus, & Lucas primo dicunt vnum seruum missum, deinde alium; postea alium. D. Matth. refert multos seruos missos. Iterum misit alios plures prioribus. Quoniam illum, quem Marcus, & Lucas dicunt missum, tanquam primum, ac praecipuum legatum, alij serui comitabantur.

30.

Fidelis seruus aliorum morte non deiecerunt.

Iterum misit alios seruos. Semper Deus delegauit ad populum suum multos Prophetas, praedicatorum, ac monitores ad eum reducendum ad salutis viam. Et maxime expendenda est horum seruorum fidelitas; ac obedientia in Dominum suum, qui cum competunt haberent primos seruos ab agricolis crudeliter caesos, ac occisos fuisse; cum tamen mittuntur nil dubitant, nec contradicunt, quamuis se videant ad immanissimos vineae colonos destinari, parati erant pro Domini obsequio vitam fundere.

31.

Nouissimè autem. Cum venit plenitudo temporis; Misit, per Incarnationem ad eos, ad populum Israel, filium suum, vt scribit D. Marcus, filium suum charissimum; Ecce infinita Dei bonitas, quae tot iniuriis, ac opprobriis non cessat a suis beneficiis largiendis, de quo infra dicens, verebuntur filium meum. Nam etsi contempserint seruos meos, videntes tamen filium meum, qui propius refert meam personam, erubescunt negare pactum inicum de fructibus vineae. D. Lucas scribit, Forsitan cum hunc viderint, verebuntur.

QUESTIO V.

Quare Agricola insurgunt in seruos Domini sui, ipsos percusserunt, ac occiderunt?

32.

AGRICOLAE videntes seruos Patrifamilias, ipsos percusserunt, ac occiderunt, tum ne debitos fructus vineae darent, tum etiam ne a vinea amouerentur, inde in tantum malum precipitantur, vt Domini seruos morte afficiant, cum iniuria illata seruo irrogata sit proprio Domino, a quo liberalissimè vinea fuerat accepta, sed auri sacra fames omne ius violat, ac prophanat.

Auri cupiditas omne ius violat.

33.

Respondeo. Primò ad quaestionem. Quod agricolae percusserunt, & occiderunt seruos, qui missi fuerant a Domino ad recipiendos fructus vineae, nam agricolae cum essent latrones, ac dissipassent bona vineae, vt ait D. Anton. Vlyssip. feria 6. post Dominic. 2. non habebant, vnde redderent fructus Domino debitos; nam quae quis rapit nunquam possidet, & quae rapina comparantur, facili casu labuntur; Eleganter Seneca epistol. 90. Cum auaritia seducere aliquid cupit, atque in suum vertere, omnia facit aliena, & in angustum ex immenso redunda paupertate inuitit, & multa concupiscendo omnia amittit. Benedicens Iacob Benjamin ait illi Gen. 49. n. 22. Benjamin lupus rapax, mane comedit praedam, & vespere diuidit spolia. Si tanquam lupus rapuit, quomodo ex iis, quae rapta

Anton. Bona furto comparata, cito labuntur. Seneca.

Genes. 49.

sunt, mane comedens, ad vespeream statim, quae superflua diuidit, spargit, ac deponit? Quomodo ad longum tempus ea sibi non reseruat, ac retinet; nunquid tam regij animi est lupi, vt cum tanta liberalitate diuidat, ac distribuat spolia; si lupus rapax, & mane comedit praedam, quam rapuit, cur & vespere cum illa non gaudet? Erat lupus rapax, & quae acquirerat, rapta fuerant comparata, & haec non valent perdurare, sed breui horarum spatio labuntur, ac deponuntur. Oleaster. Ad vespeream diuidit, ait, quia commune est, vt raptos breui tempore possideant, quae rapiant.

Oleaster.

34.

Secundò. Latrones erant agricolae, ac proinde seruos Domini sui occidunt, inseparabili foedere homicidium, & furtum coniunguntur: Cum Lezabel cogitat rapere vineam Naboth, statim illius necem crudeliter perpetrari mandat, non enim homicidium a furto lecerni poterat. 3. Reg. 21. num. 9. Graues minas aduersus ciuitatem Ninuam praedicat Propheta, Nahum 3. n. 1. Vae, ait, ciuitas sanguinum non recedet a te rapina. Cum in ciuitate esset rapina, quid inde in ea consequens erat, nisi homicidium? non enim furtum ab homicidio separatur, qui enim vnam manum habet occupatam cum rapina, alteram ad caedes agendas extendit. Rupertus. Non recedet, ait, a te rapina, id est non remittetur tibi rapacitatis culpa, quae tibi malorum omnium radix fuit, & causa homicidiorum, propter quae ciuitas sanguinum vocaberis.

3. Reg. 61. Furtum, & homicidium sociantur. Nahum 3.

Rupertus.

35.

Tertiò. Agricola occidunt seruos, non a vinea, ac illius agricultura expellantur: cogitant illi se perpetuare in munere, ideo necem, ac iniurias in seruos moluntur. Quodnam medium eligit. Saul pro se, ac in prolapia sua, vt in regno firmaretur, ne ab illius corona deturbaretur, multas intentat iniurias, ac persecutiones, quas crudeliter in Dauidem extorquet; vnde dicebat ille ad Ionatham filium suum. Omnibus diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, & adhuc enim ad me, quia filius mortis est. 1. Reg. 20. num. 31. Saul cum esset iniquus, iniquitate, ac iniustitia vult suum regnum conseruare, sed sua iniquitate ruit, regnum perdidit, ac vitam amisit.

Iniustitia volunt se tuori, iniustitia vinea amittunt.

1. Reg. 26.

36.

Si agricola cogitassent sui muneris finem, & officium excolendae vineae non esse perpetuum, caute se gererent, & valde benignè reciperent seruos domini sui. Nam vt eleganter ait D. Ambros. lib. 5. Hexamer. cap. 15. Erat olim, ait, pulcherrimus rerum status, nec insolecebat quisque perpetua potestate. Nemo audebat alium seruitio premere, cuius sibi successuri in honorem, multa forent subeunda fastidia. Continentur maxime in officio potestates humanae, cum ad muneris respiciunt finem, & successoris distractionem possunt metuere.

Ambros.

Cogitet qui liber in suo officio, illum finem.

37.

Creatur Moyses a Deo dux, & gubernator totius populi, & virga data quam tenebat in manu, ait ei Deus. Proice eam in terram. Exod. 4. num. 3. Si eum Domine instituis principem, ac ducem totius populi, ad quid mandas ei vt virgam deponat, ac proiciat? Nam magistratibus datur pro iurisdictionis, ac potestatis nota: ergo cum Moyses totius Israelis princeps eligitur, si in manu virgam non haberet, praecipuum erat ei, vt illam assumeret, ad quid praecipitur ei vt illam proiciat? O magnum omnibus magistratibus documentum! Cum creatur dux totius populi, simul ei mandatur, vt virgam abiiciat, sciatque non multum fidendum esse suo muneri, suaeque potestati; nam aliquando ipsa eius virga de-

Pratus sic fungatur suo officio, vt sciat illud esse potestatem.